

• S. R. E. seu civitatum, castrorum, terrarum, locorum quorum-
 • cumque ejusdem sanctae romanae ecclesiae omnes et singuli
 • cives, rustici, habitatores et incolae, subditi vero mediate eidem
 • S. R. E. etiam terras, civitates, et castra ac loca quaecumque
 • in vicariatum seu feudum tenentes, eorumque subditi, et civita-
 • tum, terrarum, castrorum et locorum eorundem cives, rustici,
 • habitatores et incolae in Marchia Anconitana et Romandiola,
 • comprehendendo etiam civitatem Ferrariensem ejusque comita-
 • tum, territorium et districtum, dumtaxat existentes, cum eorum
 • omnium et singulorum navibus seu navigiis cujuscumque gene-
 • ris, mercantiis et bonis in illis existentibus cujuscumque generis
 • et qualitatis fuerint, libere et expedite, ac penitus sine aliqua
 • gabellarum aut pedagiorum seu onerum quorumcumque solutione
 • vel exactione ad quaecumque loca tam per sinum maris Adria-
 • tici, quam quaecumque alia maria et aquas etiam dulces navi-
 • gare permittent, nec navigia, homines, mercantias et bona
 • praedicta quocumque modo et quovis colore et causa impedi-
 • unt, retinebunt, aut retardabunt, etiam praetextu vel colore alicujus
 • praetensae custodiae maris, cui quo ad praemissa specialiter et
 • expresse renuntiaverunt, sive etiam praetextu visionis dictorum
 • bonorum seu mercantiarum, aut librorum mercantilium in dictis
 • navigiis, aut penes ipsos navigantes quomodolibet existentium,
 • etiam sub eo praetextu quod mercantia et bona et alia praedicta
 • ad quoscumque alias personas etiam non subditas, in parte vel
 • in totum pertinere dicerentur.

• Item, nominibus et modo quibus supra, promiserunt et con-
 • venerunt perpetuis futuris temporibus parere mandatis sanctae
 • romanae ecclesiae; quinimmo tamquam ipsius devoti filii nun-
 • quam erunt in facto, opere, consilio aut auxilio contra sedem
 • apostolicam et romanum pontificem pro tempore publice vel oc-
 • culte, et hoc sub poenis et censuris in dictis litteris monitoriali-
 • bus et aliis infra contentis.

• Item, nominibus et modo quibus supra, promiserunt et